

te de hac via moveat, quam tenemus, & in qua nobiscum ad supernam patriam, qua te delectari novimus & gaudemus, ut gradiaris instamus.

17. Cives autem carnalis patriæ tuæ, etsi non omnes, sed quosdam innocentes quidem dixisti, verumtamen quod relecta illa epistola mea debes advertere, non defendisti. Quorum non flores, sed spinas nos sensisse cum dicerem, respondens ad illud quod scripseras, florentem te cupere patriam relinquere, joculari me putasti. Hoc scilicet in malis tantis libeat; ita est prorsus. Fumant adhuc ruinæ incensæ Ecclesiæ; & in ea causa nos jocamur? Et ego quidem quamvis innocentes illic mihi non occurrerent, nisi qui aut absentes fuerunt, aut mala illa perpassi sunt, aut nullis ad prohibendum viribus, vel auctoritate valuerunt; tamen nocentiores à minus nocentibus in rescribendo distinxi, aliamque causam posui eorum, qui timuerunt offendere potentes inimicos Ecclesiæ, aliam eorum, qui hoc committi voluerunt; aliam eorum, qui commiserunt, aliam eorum qui immiserunt; nihil agi de immissoribus volens, quia hoc sine tormentis corporalibus à proposito nostro abhorrentibus fortasse non potest inveniri. Stoïci autem tui omnes æqualiter nocentes esse concedunt, quibus placet omnia paria esse peccata; qui etiam duritiam suam qua misericordiam vituperant, huic sententiæ sociantes, nullo modo censent omnibus pariter ignoscendum, sed omnes pariter esse puniendos. Remove ergo illos quàm longissimè potes à patrocinio causæ istius, & opta potius, ut tamquam christiani agamus, ut sicut optamus nos in Christo eos, quibus

par-

parcimus, adquiramus, ne perniciose illis dissolutione parcamus. Deus misericors & verax te felicitate vera donare dignetur.



## EPISTOLA CV.\*

*Donatistas ad unitatem exhortans, ostendit leges justè necessariòque in eos latas fuisse ab imperatoribus catholicis. Baptismi sanctitatem ex divini muneris gratia, non ex ministri hominis meritis pendere probat. Deinde catholicam Ecclesiam in sacris Scripturis agnoscit: ac demum repertos in ea malos tolerari oportere.*

AUGUSTINUS episcopus catholicus, Donatistis.

1. CARITAS Christi, cui omnem hominem quantum ad nostram pertinet voluntatem lucrari volumus, tacere nobis non permittit. Si propterea nos odistis, quia pacem vobis catholicam prædicamus; nos Domino servimus dicenti: *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*: & in psalmo scriptum est: *Cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar eis, debellabant me gratis*. Propterea mandaverunt nobis quidam presbyteri partis vestræ, dicentes: Recedite à plebibus nostris, si non vultis ut interficiamus vos. Quanto justius eis nos dicimus: Imò vos non recedite, sed accedite pacati ad plebes non nostras, sed

Tom. V. P il-

\* *Alia*  
CLXVI.  
*que autem*  
105. erat,  
nunc 194.

*Scripta videtur in eunte an. 409.*  
CAP. I.

*Matt. 5. 9.*

*Psal. 119. 7.*

illius cujus omnes sumus: aut si non vultis & impacati estis, vos potius recedite à plebibus, pro quibus Christus suum sanguinem fudit; quas ideo vultis vestras facere ne Christi sint, quamvis eas sub ejus nomine possidere conemini: tamquam si servus furetur oves de grege Domini sui, & quæcumque ex illis nata fuerint, characterem Domini sui eis infigat, ne furtum ejus possit agnoscere. Sic enim fecerunt majores vestri: separaverunt ab Ecclesia Christi populos habentes baptismum Christi, & quicumque illis accreverunt, baptismum Christi eos baptizaverunt. Sed Dominus & fures punit, si non se correxerint, & oves ab errore revocat ad gregem, nec in eis suum exterminat characterem.

2. Dicitis nos traditores, quod nec majores vestri in majores nostros potuerunt, nec vos in nos probare ullo modo poteritis. Quid vobis vultis faciamus, qui quando vobis dicimus ut causam nostram & vestram patienter audiatis, non nostis nisi superbire & insanire? Nam utique ostenderemus vobis, quia potius illi traditores fuerunt, qui Cæcilianum & socios ejus quasi traditionis crimine damnaverunt. Et dicitis: Recedite à plebibus nostris; quas docetis ut vobis credant, & Christo non credant. Vos enim eis dicitis, propter traditores, quos non ostenditis, remansisse Ecclesiam Christi in sola Africa partis Donati: quod non de Lege, non de Propheta, non de Psalmo, non de Apostolo, non de Evangelio, sed de corde vestro, & de parentum vestrorum calumniis recitatis. Christus autem dicit: *Prædicari in nomine suo penitentiam & remissionem peccatorum; per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem:*

Luca 24.  
47.

cui

cui Ecclesie ex ore Christi manifestatae, vos non communicatis, & alios in vestram perditionem trahentes, liberari non vultis.

3. *SI autem ideo vobis displicemus, quia* CAPUT II.  
per imperatorum jussiones ad unitatem cogimini, hoc vos fecistis, qui ubicumque vellemus prædicare veritatem, ut eam quisque securus audiret & volens eligeret, numquam permisistis per violentias & terrores vestros. Nolite stridere, & perturbare animas vestras; patienter, si fieri potest, considerate quod dicimus, & recolite facta circumcellionum vestrorum, & clericorum qui duces eorum semper fuerunt, & videbitis quæ causa vobis hoc excitaverit. Unde injustè querimini, quia vobis omnia ista ut juberentur coëgistis. Nam ut longè præterita, & multa non repetamus, saltem recentia facta vestra cogitate. Marcus presbyter casphalianensis à nemine coactus, propria voluntate catholicus factus est. Quare illum vestri persequuti sunt, & penè occidissent, nisi Dei manus per homines supervenientes violentias eorum compressisset. Restitutus victorianensis ad Catholicam nullo cogente se transtulit. Quare raptus est de domo sua, cæsus, in aqua volutatus, a buda vestitus, & nescio quot dies in captivitate retentus est, nec libertati propriae fortasse restitutus esset, nisi jam penè propter ipsam causam Proculeianus sibi exhibitionem videret imminere. Marcianus turgensis catholicam unitatem propria voluntate delegit. Quare subdiaconum ejus, cum ipse fugisset, propè usque ad mortem cæsum, cle-

P 2

ri-

a Bad. Am. Er. & MSS. quatuor, bruda vestitus.

rici vestri lapidibus obruerunt, quorum domus pro suo scelere eversæ sunt.

4. Quid amplius dicamus? Modò præconem misistis, qui clamaret Siniti: *Quisquis<sup>a</sup> Maximino communicaverit, incendetur domus ejus*: qui antequàm ipse ad Catholicam conversus esset, & nondum de transmarinis remeasset, ad quid aliud presbyterum Siniti miseramus, nisi ut nulli molestus nostros visitaret, & in domo juris sui positus, pacem catholicam volentibus prædicaret? quem vos inde cum gravi injuria projecistis. Quid aliud agebamus, quando unus nostrum calamensis episcopus Possidius ibat ad fundum<sup>b</sup> figulinensem, nisi ut nostri, quamvis pauci, qui illic erant, visitarentur, & audito verbo Dei ad unitatem Christi qui vellent converterentur? Cui ambulanti viam suam, latronum more insidiati sunt, & quia in eorum insidias cadere non potuit, eum apertâ violentiâ in fundo<sup>c</sup> livetensi penè vivum cum domo, quò fugerat, incenderant, nisi tertio suppositas flammæ coloni ejusdem fundi propter periculum suæ salutis exstinguerent: & tamen cum Crispinus propter hoc factum in proconsulari judicio convinceretur hæreticus, ejusdem episcopi Possidii intercessu decem libras auri non est exactus. Cui benevolentia & mansuetudini ingratus, ad imperatores catholicos ausus est appellare. Unde hanc in vos

<sup>a</sup> MSS. Vaticani tres, cum aliis duobus habent, *Maximiano*. Bad. Am. & Er. *Maximiniano*. Sed melius Lov. & MSS. plures, *Maximino*: uti scribitur in epistola 23. ad eundem data, & in lib. 22. *De civit. Dei*, c. 8.

<sup>b</sup> Apud Lov. scribitur, *figulinensem*. At apud Bad. Am. Er. & MSS. novem, *figulinensem*.

<sup>c</sup> MSS. septem habent, *in fundo olivetensi*.

vos iram Dei, de qua murmuratis, multo importunius & vehementius provocavit.

5. Videtis quia vos contra pacem Christi violenter insurgitis; & patimini non pro ipso, sed pro iniquitatibus vestris. Quæ est ista dementia, ut cum malè vivitis, latronum facta faciatis; & cum jure punimini, gloriam martyrum requiratis? Si ergo vos privata vestra audacia tam violenter cogitis homines aut ire in errorem, aut permanere in errore; quanto magis nos debemus per ordinatissimas potestates, quas Deus secundum suam prophetiam subdidit Christo, resistere furoribus vestris, ut miseræ animæ de vestra dominatione liberatæ, eruantur de vetustissima falsitate, & assuescant in apertissima veritate? Nam quod à nobis nolentes dicitis cogi, multi etiam se cogi volunt; quod nobis antea & postea confitentur, ut vel sic evadant oppresiones vestras.

6. Et tamen quid est melius, proferre veras imperatorum jussionem pro unitate, an falsas indulgentias pro perversitate, quod vos fecistis, & mendacio vestro subito totam Africam implestis? In quo facto nihil aliud ostendistis, nisi partem Donati semper de mendacio præsumentem, omni vento jacitari & circumferri, sicut scriptum est: *Qui Prov. 10. 4. fudit in falsis, hic pascit ventos*. Sicut enim vera fuit ista indulgentia, sic vera sunt crimina Cæciliani, & traditio Felicis aptungensis, per quem ordinatus est; & quidquid aliud contra catholicos dicere consuevistis, ut à pace Ecclesiæ Christi infelices separetis, & infeliciter separemini. De nulla quidem nos hominis potestate præsumimus; quamvis utique multo sit honestius præsumere de impe-

ratoribus, quàm præsumere de circumcellionibus; præsumere de legibus, quàm præsumere de seditionibus. Sed meminimus scriptum esse: *Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine*. Unde ergo præsumimus, si vultis nosse, illum cogitate, de quo Propheta prænuntiavit, dicens: *Adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes servient illi*. Et ideo hac Ecclesiæ potestate utimur, quam ei Dominus & promisit & dedit.

Jer. 17. 5.

Psal. 71.  
11.11. 9. 3. Im-  
peratores.

7. Imperatores enim si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas justis & probarentur & coronarentur, non faciendo quod illi juberent, quia Deus prohiberet. Sicut jusserat Nabuchodonosor, ut aurea statua adoraretur; quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem jubent, quod quisquis contemserit, ipse sibi iudicium acquirit. Nam & inter homines poenas luit, & apud Deum<sup>a</sup> a frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipsa veritas jussit. Sicut ipse Nabuchodonosor postea miraculo salutis trium puerorum commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum proposuit, ut quicumque blasphemarent Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in dispersionem: & non vultis ut tale aliquid contra vos jubeant imperatores christiani, cum sciant à vobis in eis,

Dan. 3. 96.

<sup>a</sup> Lov. sortem non habebit. At editiones antiquiores ferunt, *frontem non habebit*: cui lectioni suffragantur MSS. tredecim. Alludere videtur Augustinus ad illud Apostoli Rom. 13. v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

eis, quos rebaptizatis, Christum exsufflari? Si jussiones regum non pertinent ad prædicandam religionem & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum regis talia jubentis etiam ipsi vos signatis? An ignoratis verba regis esse: \* *Signa & ostenta, quæ fecit mihi Dominus Deus excelsus, placuit mihi in conspectu meo annuntiare, quàm magnum & potens sit regnum ejus, regnum sempiternum & potestas ejus in sæcula sæculorum?* An cum hoc audieritis, non respondeatis, *Amen*; & hoc dicto clara voce ad edictum regis, vos in sancta sollemnitate signatis? Sed modò quia nihil apud imperatores potestis, nobis inde vultis facere invidiam. Si autem aliquid possetis, quanta faceretis; quando nihil potestis, & non cessatis?

8. Scitote quòd primi majores vestri causam Cæciliani ad imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis quidquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam episcopis delegavit. Quod & factum est in urbe Roma præsidente Melchiade episcopo illius ecclesiæ cum multis collegis suis. Qui cum Cæcilianum innocentem pronuntiassent, & Donatum \* qui schisma Carthagini fecerat sententia percussissent, iterum vestri ad imperatorem venerunt, de iudicio episcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt. Quomodo enim potest malus litigator laudare iudices, quibus judicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus imperator alios iudices episcopos dedit apud Arelatum Galliæ civitatem: & ab ipsis vestri ad ipsum imperatorem ap-

Dan. 3. 99.

\* In Gotthico officio dicebantur hæc in sabbato sancto, & respondebatur: *Amen*.

\* Episcopum à Cassis nigris.

pellarunt, donec etiam ipse causam cognosceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumniosos pronuntiaret. Nec sic toties victi quieverunt, sed de Felice aptungitano, per quem Cæcilianus fuerat ordinatus, quotidianis interpellationibus ipsi imperatori tædium fecerunt, dicentes eum esse traditorem. Et ideo Cæcilianum episcopum esse non posse, quòd à traditore fuerit ordinatus; donec & ipse Felix, jussu imperatoris causa cognita ab Æliano proconsule, innocens probaretur.

9. Tunc Constantinus prior contra partem Donati severissimam legem dedit. Hunc imitati filii \* ejus talia præceperunt. Quibus succedens Julianus desertor Christi & inimicus, supplicantiibus vestris Rogatiano & Pontio, libertatem <sup>a</sup> perditionis parti Donati permisit: denique tunc reddidit basilicas hæreticis, quando templa dæmoniis, eo modo putans christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permetteret. Hæc erat ejus prædicanda justitia, quam supplicantes Rogatianus & Pontius laudaverunt, dicentes homini apostatæ, quòd, *Apud eum sola justitia haberet locum.* Huic successit Jovianus, qui quoniam citò mortuus est, nihil de rebus talibus jussit. Deinde Valentinianus; legite quæ contra vos jusserit. Inde Gratianus & Theodosius; legite quando vultis, quæ de vobis constituerint. Quid ergo de \* filiis Theodosii miramini, quasi aliud in hac causa sequi debuerint, quam Constantini judicium per tot christ-

\* Constantius, & Constans.

\* Honorio & Arcadio, &c.

<sup>a</sup> Sic meliores MSS. At vulgati habent, *perditioni pariter*; malè. Confer lib. 1. contra Gaudentium c. 24.

christianos imperatores firmissimè custoditum? 10. Ad Constantinum autem, sicut diximus, sicut vobis quando vultis, si tamen ignoratis, ostendimus, majores vestri causam Cæciliani ultro detulerunt. Defunctus est Constantinus, sed judicium Constantini contra vos vivit, quòd vestri causam miserunt, apud quem iudices episcopos reprehenderunt, ad quem à iudicibus episcopis appellaverunt, quem tædiosissimè de Felice aptungitano interpellaverunt, à quo toties convicti & confusit redierunt, & à pernecie furoris & animositatis suæ non recesserunt; eamque vobis posteris suis hereditariam reliquerunt, ut tam impudenter de jussionibus christianorum imperatorum faciatis invidiam, cum si vobis liceret, non quidem jam Constantinum christianum, quia veritati favit, contra nos interpellaretis, sed apostatam Julianum ab inferis excitaretis; quasi verò si aliquid tale contingeret, esset magnum malum nisi vobis. QUÆ EST enim pejor mors animæ, quam libertas erroris?

11. SED jam tollamus ista omnia de medio, amemus pacem, quam omnis doctus & indoctus intelligit præponendam esse discordiæ; diligamus & teneamus unitatem. Hoc jubent imperatores; quod jubet & Christus; quia cum bonum jubent, per illos non jubet nisi Christus. Et nos etiam per Apostolum obsecrat, ut idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, neque dicamus: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi; sed simul omnes non simus nisi Christi, quia nec divisus est Christus, nec Paulus crucifixus est pro nobis: quanto minus Donatus? Nec in

CAPUT III.

I. Cor. I. 10.

nomine Pauli baptizati simus; quòd minùs in Donati? Hoc dicunt & imperatores, quia christiani catholici sunt, non idolorum servi, sicut vester Julianus; non hæretici, sicut quidam fuerunt, & Ecclesiam catholicam persecuti sunt; quando veri christiani non pro hæretico errore poenas justissimas sicut vos, sed pro catholica veritate passiones gloriosissimas pertulerunt.

12. Adtendite quàm manifestissima veritate per cor regis quod in manu Dei est, ipse Deus dixerit in ista ipsa lege, quam contra vos prolata dicitis; est autem, si intelligatis prolata pro vobis. Adtendite quid habeant verba principis: *a Nam si in eis, qui primò initiati sunt, idcirco religio baptismatis judicatur infirma, quòd ii à quibus accipitur, peccatores putentur; toties renovari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus colati baptismatis administrator; & fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum, & clericorum qualitate pendebit.* Faciant mille, concilia episcopi vestri, huic uni sententiæ respondeant, & ad quod volueritis consentimus vobis. Videte enim quàm perversè & impiè dicatur, quod dicere soletis, quia si bonus sit homo, ipse sanctificat eum quem baptizat; si autem malus sit, & nesciat illè qui baptizatur, tunc Deus sanctificat. Hoc si verum est, optare ergo debent homines, ut à malis ignoratis baptizati non sint.

*a* Verba isthæc sunt illius forsitan legis Constantini, Constantii, & Valentiniiani, cujus mentio fit in cod. Theod. lib. 16. tit. 6. *Ne sanctum baptismum iteretur: leg. 2.*

tizentur, potius quàm à notis bonis, ut magis à Deo quàm ab homine possint sanctificari: sed absit à nobis ista dementia. Quare ergo non verum dicimus, & rectè sapimus, quia semper Dei est illa gratia & Dei sacramentum, hominis autem solum ministerium; qui si bonus est, adhæret Deo, & operatur cum Deo; si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem sacramenti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam. Hoc sapiamus omnes, & non sint in nobis schismata.

13. CONCORDATE nobiscum, fratres, diligimus vos, hoc vobis volumus quod & nobis. Si propterea nos graviùs odistis, quia errare vos & perire non permittimus, hoc Deo dicite, quem timemus minantem malis pastoribus, & dicentem: *Quod erraverat, non revocastis, & quod perierat, non inquisistis.* Hoc vobis per nos Deus ipse facit, sive obsecrando, sive minando, sive corripiendo, sive damnis, sive laboribus, sive per suas occultas admonitiones vel visitationes, sive per potestatum temporalium leges. Intelligite quid vobiscum agatur; perire vos non vult Deus in sacrilega discordia alienatos à matre vestra Catholica. Nihil in nos aliquando probare potuistis; vestri episcopi conventi à nobis, numquam nobiscum pacificè conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat istam superbiam? quasi Paulus Apostolus non contulerit cum peccatoribus & cum valde sacrilegis. Legite Actus Apostolorum, & videte. Quasi ipse Dominus non cum judæis, à quibus crucifixus est, sermones de lege habuerit, eis que congruenter responderit. Postremò diabolus est primus omnium peccatorum, qui

CAPUT IV.

Ezech. 34.  
4.  
23. q. 6.  
Quis erraverat.

con-

converti ad justitiam numquam poterit; & tamen nec ipse Dominus de lege dedignatus est ei respondere: ut intelligatis istos ideo nobiscum nolle conferre, quia causam suam perditam norunt.

14. Nos ignoramus, quid adversus seipsum homines jactent, qui calumniosis dissensionibus gaudent. In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus? Nos ubi agnovimus eum de quo dicit Apostolus: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus (non dicit, & seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, & semini tuo, quod est Christus)* ibi agnovimus Ecclesiam, de qua dicit Deus ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ubi agnovimus Christum in Psalmo de se prophetantem: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te;* ibi agnovimus Ecclesiam, in eo quod sequitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est: *Deus deorum Dominus locutus est;* ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod sequitur: *Et vocavit terram à solis ortu usque ad occasum.* Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est: *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam;* ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod paulò superius dicitur: *In omnem terram exiit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. In sole posuit tabernaculum suum.* Ipsa est Ecclesia in sole posita,  
hoc

hoc est, in manifestatione omnibus nota, usque ad terminos terræ. Ubi agnovimus Christum, in eo quod scriptum est: *Foderunt manus meas, & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi verò consideraverunt & adspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem;* ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod paulò post in Psalmo ipso dicitur: *Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ patrie gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est: *Exaltare super cælos, Deus;* ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod sequitur: *Et super omnem terram gloria tua.* Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est: *Deus, judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis;* ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod de illo in Psalmo ipso dicitur: *Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi.*  
15. Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est: *Lapidem de monte sine manibus præcisum, fregisse omnia regna terrarum;* utique illa quæ de culturis demonum præsumebant; ibi agnovimus & Ecclesiam in eo quod dictum est: *Lapidem ipsum crevisse, & factum montem magnum, & replevisse omnem terram.* Ubi agnovimus  
Chris-

- Soph. 2.* Christum in eo quod scriptum est: *Præva-*  
*bit Dominus adversus eos, & exterminabit*  
*omnes deos gentium terræ; ibi agnovimus*  
*& Ecclesiam in eo quod illic sequitur: Et*  
*adorabunt in conspectu ejus unusquisque de*  
*loco suo omnes insulæ gentium. Ubi agno-*  
*vimus Christum in eo quod scriptum est:*  
*Abac. 3. 3.* *Deus ab africo veniet, & sanctus de mon-*  
*te umbroso; operiet cælos virtus ejus; ibi*  
*agnovimus Ecclesiam in eo quod sequitur:*  
*Et laudis ejus plena est terra. Ab africo*  
*enim posita est Jerusalem, sicut legitur in*  
*libro Jesu Nave, unde nomen Christi diffu-*  
*sus est; & ibi est mons umbrosus, mons*  
*Oliveti, unde adscendit in cælum, ut coope-*  
*riret cælos virtus ejus, & impleretur Ecclesia*  
*per omnem terram laudis ejus. Ubi agnovi-*  
*mus Christum in eo quod scriptum est: Si-*  
*cut ovis ad immolandum ductus est, & si-*  
*cut agnus coram tondente se fuit sine vo-*  
*ce, sic non aperuit os suum, & cetera quæ*  
*illic de ejus passione dicuntur; ibi agnovi-*  
*mus & Ecclesiam in eo quod illic dicitur:*  
*Isai. 53. 7.* *Letare, sterilis, quæ non paris; erumpe*  
*& exclama, quæ non parturis; quoniam*  
*multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ*  
*habet virum. Dixit enim Dominus: Dilata*  
*locum tabernaculi tui, & aulæas tuas con-*  
*fige, non est quod parcas. Porridge longius*  
*funiculos, & palos validos confirma, etiam*  
*atque etiam in dexteram atque sinistram*  
*extende. Semen enim tuum hereditabit gen-*  
*tes, & civitates quæ desertæ erant, inha-*  
*bitabis. Non est quoddam metuas, prævalebis*  
*enim; nec erubescas, quoddam detestabilis fue-*  
*ris. Confusionem enim in perpetuum obli-*  
*visceris, ignominie viduitatis tuæ non eris*  
*me-*

*memor; quoniam ego sum Dominus, qui*  
*feci te, Dominus nomen ei. Et qui eruit*  
*te, ipse Deus Israël universæ terræ voca-*  
*bitur.*

16. NON novimus quid de traditoribus **CAPUT V.**  
 dicatis, quos numquam convincere, num-  
 quam ostendere potuistis. Non dico, quia  
 vestri potius in tali crimine detecti & confessi  
 manifestantur. Quid ad nos pertinet de sar-  
 cinis alienis? nisi ut quos possumus corrigan-  
 mus, vel correptione vel quacumque disci-  
 plina in spiritu mansuetudinis & diligentia  
 caritatis; quos autem corrigere non valemus,  
 etiamsi necessitas cogit pro salute ceterorum  
 ut Dei sacramenta nobiscum communicent,  
 peccatis tamen eorum non communicemus,  
 quod non fit nisi consentiendo & favendo.  
 Sic enim eos in isto mundo, in quo Eccle-  
 sia catholica per omnes gentes diffunditur,  
 quem agrum suum Dominus dicit, tamquam  
 zizaniam inter triticum, vel in hac unitatis  
 area tamquam paleam permixtam frumento,  
 vel intra retia verbi & a sacramenti tamquam a  
 malos pisces cum bonis inclusos, usque ad  
 tempus messis, aut ventilationis, aut littoris to-  
 leramus, ne propter illos eradicemus & tri-  
 ticum, aut grana nuda ante tempus de area  
 separata, non in horreum mittenda purgemus,  
 sed volatilibus colligenda projiciamus; aut  
 disruptis per schismata retibus, dum quasi ma-  
 los pisces cavemus, in mare perniciosæ li-  
 bertatis exeamus. Propter hoc enim his atque  
 aliis similitudinibus Dominus servorum suo-  
 rum tolerantiam confirmavit, ne dum se bo-  
 ni

a In MSS. aliquot, vel intra retia verbi & sacramenta.



ni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias dissensiones aut parvulos perdant, aut parvuli pereant. Quod usque adeo cælestis magister cavendum præmonuit, ut etiam de præpositis malis plebem securam faceret; ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui IN CATHEDRA unitatis doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax & ipsa Veritas de præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus ait: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt.* Non utique diceret: *Quæ faciunt, facere nolite*, nisi manifesta essent mala quæ faciunt.

Matth. 23.  
3.

17. Non ergo propter malos in mala dissensione pereamus: quamvis vestros majores non execratores malorum, sed accusatores innocentium fuisse, si velitis, possimus ostendere. Sed quicumque illi & qualescumque fuerint, portent sarcinas suas. Ecce Scripturæ communes, ecce ubi novimus Christum, ecce ubi novimus Ecclesiam. Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis; quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis? Hæc vobis dicendo, & ad hoc bonum pacis, & unitatis, & caritatis vos compellendo, inimici vobis facti sumus; & mandatis, quia occidetis nos, qui veritatem vobis dicimus, & in errore vos perire, quantum possumus, non permittimus. Vindicet nos Deus de vobis, ut ipsum errorem

rem vestram in vobis occidat, & nobiscum de veritate gaudeatis. <sup>a</sup> Amen.



EPISTOLA CCIV.\*

Augustinus Dulcilio Tribuno & Notario imperialiumque jussionum adversus donatistas datarum executori, ex lib. 2. *Retract. cap. 59. significans à se jam abundè satisfactum fuisse querelis donatistarum; & ostendens eorum vesaniam, quæ sibi necem ultrò consciscabant.*

\* Aliàs  
LXI.  
quæ autem  
204. erut,  
nunc 173.

Domino eximio & honorabili filio DULCITIO,  
AUGUSTINUS salutem in Domino.

1. **N**ON debui contemnere petitionem tuam, qua desiderasti à me institui, quem admodum te oporteat hæreticis respondere, quorum salus in Domini misericordia, instantia quoque tuæ strenuitatis inquiritur. Quamvis enim ingentes eorum multitudines (unde plurimum gratulamur) quid sibi beneficii conferatur intelligant; quidam tamen eorum Deo & hominibus miserabili instinctu furoris ingrati, ubi suis cædibus nos vastare non possunt, suo nos exitio terrere se credunt, aut lætitiâ suam quærentes de mortibus nostris, aut tristitiâ nostram de mortibus suis. Sed non debet tot tantorumque populorum salutem furiosus error hominum

Scripta  
circ. an.  
420.

TOM. V.

Q

im-

<sup>a</sup> Apud Bad. Am. Er. & MSS. quosdam, deest, Amen. In aliis MSS. loco ejus habetur, *vultis.*

impedire paucorum. Quid eis velimus, non solum Deus & prudentes homines, verum etiam ipsi, cum sint nobis inimicissimi, sentiunt. Cum enim sua pernicie nos terrendos putant, non dubitant nos timere ne pereant.

2. Sed quid faciamus, videntes quod multi adjuvante Domino per occasionem vestram viam pacis inveniant? Numquid prohibere vos possumus vel debemus ab hac unitatis instantia, dum metumimus ne quidam durissimi, & in seipsos crudelissimi, non nostra, sed propria voluntate se perdant? Optarem quidem ut omnes, qui contra Christum portant signum Christi, & contra Evangelium de ipso Evangelio, quod non intelligunt, gloriantur, à sua perversitate discederent, & nobiscum in ejus unitate gauderent. Sed quoniam Deus occulta satis dispositione, sed tamen justa, nonnullos eorum poenis prædestinavit extremis, proculdubio melius incomparabili numerositate plurimis ab illa pestifera divisione & dispersione reintegratis atque collectis, quidam suis ignibus pereunt, quam pariter universi sempiternis ignibus gehennarum merito sacrilegæ dissensionis ardebunt. Sic enim pereuntes istos dolet Ecclesia, quemadmodum rebellem filium sanctus David, de cujus salute servanda sollicita dilectione mandaverat. Nam eum merito nefandæ impietatis extinctum etiam cum testimonio lacrymosæ vocis ingemit. Verum tamen superbo & maligno discedente in locum suum, populus Dei, qui fuerat illius tyrannide divisus, agnovit regem suum; & de amisso filio mœrorem patris perfectio consolata est unitatis.

3. Non itaque reprehendimus, Domine  
exi-

2. Reg. 18.

5.

eximie & honorabilis filii, quod tales homines apud Thamugadem prius edicto admonendos existimasti; sed quod ibi dixisti: *Noverritis vos debite neci dandos*: putaverunt, sicut eorum rescripta indicant, hoc te fuisse comminatum, quod tu illos apprehensos fueras occisurus, non intelligentes de illa nece, quam ipsi sibi volunt ingerere, te locutum. Non enim tu in eos jus gladii ullis legibus accepisti, aut imperialibus constitutis, quorum tibi injuncta est executio, hoc præceptum est, ut necentur. Secundo sanè edicto dilectionis tuæ planius quid volueris aperuisti. Quod autem etiam ipsum \* episcopum illorum putasti litteris alloquendum, humanissimè ostendisti, quanta mansuetudine temperati sint in catholica Ecclesia, etiam qui potestate christiani imperatoris, sive terrendo, sive plectendo corrigendis præficiuntur erroribus; nisi quod honorificentioribus eum verbis tractasti quam decebat hæreticum.

4. Sed quod ejus responsioni me respondere voluisti, credo te arbitratum etiam hoc thamugadensibus debere præstari, ut fallax doctrina ipsius, à quo seducebantur, aliquanto diligentius refellatur: verum nos & occupatissimi sumus, & jam in aliis plurimis opusculis nostris hujusmodi vaniloquia refutavimus. Jam enim nescio quoties disputando & scribendo monstravimus, non eos posse habere martyrum mortem, quia christianorum non habent vitam; cum martyrem non faciat poena, sed causa. Docuimus etiam liberum arbitrium sic homini datum, ut tamen & divinis legibus & humanis rectissimè gravium supplicia constituta sint peccatorum: & pertinere ad religiosos reges terræ, non solum

\* Gaudentium thamugadensem.

In epist. 185.

adulteria, vel homicidia, vel hujusmodi alia flagitia seu facinora, verum etiam sacrilegia severitate congrua cohibere: multumque illos falli qui putant à nobis tales istos suscipi, quales sunt, quia non eos rebaptizamus. Quomodo enim tales suscipiuntur quales sunt, cum sint hæretici, & ad nos transeundo fiant catholici? Neque enim propterea corda depravata non licet corrigi, quia sacramenta semel data non licet iterari.

5. De mortibus autem furiosissimis, quas quidam eorum ipsi sibi inferunt, de quibus solent detestabiles & abominabiles esse multis etiam suis, quorum mentes dementia non tanta possedit, eis secundum Scripturas rationesque christianorum sæpe respondimus, quoniam scriptum est: *Qui sibi nequam, cum bonus?* Aut certè in eisdem positum tentationibus mori volentem occidat & proximum, qui sibi expedire & licere putat occidere seipsum, quoniam Scriptura dicit: *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* Nullis autem jubentibus legibus vel legitimis potestatibus, non licere alterum occidere, etiam volentem & petentem, & vivere jam non valentem, satis indicat Scriptura Regnorum, ubi rex David regis Saülis interfectorem jussit occidi; cum ille dixisset ab eo jam saucio atque semivivo petitem se fuisse ut hoc faceret, & animam corporis nexibus obluentem solvique cupientem uno ictu vulneris ab illis cruciatibus liberaret. Proinde quia omnis, qui sine ulla legitimæ potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est, quisquis seipsum occidit, non sit homicida, si non homo est. Hæc omnia multimodis in aliis plurimis nostris sermonibus, & litteris diximus.

Ve-

6. Verumtamen, quod fatendum est, de isto Razio seniore, quem summa exemplorum inopia coarctati se in Machabæorum libris, quasi ad auctoritatem sceleris, quo seipsum perdunt, perscrutatis omnibus ecclesiasticis auctoritatibus, vix aliquando se invenisse gloriantur, adhuc eis numquam respondisse me recolo. Sed, quod tuæ caritati & prudentibus quibusque sufficiat ad istos redarguendos, si ad vitam christianorum de judæa gente atque illis litteris parati sunt omnium factorum exempla transferre, tunc & hoc transferant. Si autem illic sunt plurima eorum quoque hominum, qui litterarum illarum veritate laudati sunt, vel huic jam temporis non convenientia, vel etiam illo tempore non rectè facta, tale etiam hoc est, quod in seipsum Razius iste commisit: qui cum esset apud suos nobilis, & multum in judaismo profecisset (quæ sibi in comparatione justitiæ christianæ damna & stercora fuisse dicit Apostolus) & propter hoc idem Razius judæorum pater appellaretur; quid mirum est, si tamquam homini elatio superba subrepsit, ut mallet manu propria perimi, quam post illam in suorum adspectibus celsitudinem sustinere indignam in hostium manibus servitutem?

7. Solent in litteris gentilium ista laudari. In his autem Machabæorum libris quamvis homo ipse fuerit laudatus, factum tamen ejus narratum est, non laudatum, & judicandum potius quam imitandum, quasi ante oculos constitutum, non sanè nostro judicio judicandum, quod nos quoque ut homines hab-

e 3

be-

■ Editi, sanctorum exempla. At MSS. factorum.